

a Deo merentur audiri. Beatus Apostolus Paulus in necessitate praessurae adjutus a fratribus, opera bona, quae fiunt, sacrificia Dei dixit esse. Saturatus sum, inquit, recipiens ab Epaphroditu ea, quac a vobis missa sunt, odoris suavitatem, sacrificium acceptum et placitum Deo. Nam quando quis miseretur pauperis, Deum foenerat: et qui dat minimis, Deo donat, spiritualiter Deo suavitatem odoris sacrificat: In orationibus vero celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortis, et in captivitate victores horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet trinitatis, quae in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam et prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quartam procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando a septima nona completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur. Quae horarum spatia jam pridem spiritualiter determinantes adoratores Dei, statutis et legitimis ad precem temporibus servabant. Et manifestata postmodum res est sacramenta olim fuisse, quod ante sic justi precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus Sanctus, qui gratiam dominicae reprobmissionis implevit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens, signo pariter et voce Dei monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoram suam passione perfecit. Sed nobis, fratres dilectissimi, praeter horas antiquitus observatas orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus Sanctus designabat in psalmis dicens: Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo, Domine: mane exaudies vocem meam: mane assistam